

licet per verbum de præsentia dicat *non potest*, semper hoc dicit quando postea contractus fit, quia semper lex durat et ita semper resistit actui auferendo potestatem; illa ergo distinctio nullius momenti est.

13. *Exponitur verbum Non possit.* — Potest tamen non immerito circa hanc declarationem dubitari, quia verbum *non potest* ambiguum est: sæpe enim non significat negationem potentiae facti, ut sic dicam, sed juris. Nam id simpliciter possumus quod jure possumus, unde simpliciter dicimur non posse quæ licite facere non possumus; ergo ex verbo *non possit* non satis colligitur impotentia annullans actum, sed tantum prohibitio faciens ut actus non liceat. Et sane Gloss. quæ ad hoc frequenter citatur in cap. 1 de Regul. jur., in 6, verb. *Non potest*, solum dicit negationem additam verbo *potest* inducere necessitatem, quod est verum, quia inducit necessitatem obligationis, non tamen inde fit ut inducat necessitatem impotentiae ad oppositum actum quoad valorem ejus. Unde cum in illo primo cap. dicitur: *Non potest licite*, Gloss., in verb. *Licite*, notat illud additum *licite* superabundare, quia id dictum fuerat per verbum *non potest*, quia id possumus quod jure possumus. Nam quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, ut dicitur in l. *Filius qui*, ff. de Conditionibus institutionum. Unde in c. *Faciatis*, 22 dist., ait Aug. debere facere hominem pro salute alterius quod potest, non tamen debere peccare pro alterius salute, quia nimirum illud non potest quod non liceat. Et ita in cap. *Litteras*, de Restit. spoliatis, dicitur conjugem conscium de impedimento consanguinitatis non posse alteri commisceri, quia licite non potest. Ergo, cum verba legis quæ rigorem continent benignius sint interpretanda, licet lex dicat *non possit*, sufficienter intelligitur, id est, *licite*; non ergo id sufficit ad irritandum, sed ad prohibendum. Unde Bart. et alii citati pro illa declaratione videntur aperte fundari in regula legis *Non dubium*, quod facta contra legem prohibentem sunt nulla. Supposita autem nostra sententia, et ubi lex *Non dubium* non operatur, non videtur illa interpretatio admittenda. Atque ita ex vi illorum verborum non constituetur forma substantialis ad valorem actus, sed solum forma, seu modus necessarius ad honestatem actus, sive in ordine ad valorem substantialis sit, sive accidentalis.

14. *Judicandum de verbo Non possit juxta materiam et circumstantias.* — Hæc objectio apud me convincit doctrinam et regulam da-

tam de verbo *non potest* non esse infallibilem neque sufficientem, si præcise et nude spectetur, sed esse materiam et alias circumstantias considerandas ut plenum judicium de sensu illius verbi feratur. Quod etiam sensit Covar. in dict. c. *Quamvis*, 2 p., § 4, n. 10, qui aliam etiam ambiguitatem insinuat. Nam, licet verbum *non possit* in lege positum referatur ad factum ipsum seu valorem ejus, et non ad conscientiam, potest esse dubium an tollat potentiam solum civilem, seu ad se obligandum civiliter, vel etiam naturaliter. Et ideo necessario sunt alia verba legis expendenda, et ubi illa defuerint materia erit consideranda. Potestque imprimis considerari an actus cui forma præscribitur pendeat ex potestate concessa a principe, vel republica, vel ab auctoritate juris, ut est sententia, electio, alienatio honorum communium vel ecclesiasticorum, et quælibet administratio publica vel quæ publica auctoritate fit, ut est officium tutoris, seu curatoris, et similia; an vero sit actus propriae auctoritatis et domini, ut est facere testamentum, alienare res proprias, etc. In priori enim genere actionum valde probabilis præsumptio est, ubi lex prohibet actum, vel modum actus cum clausula *Non possit*, vel *Non possit aliter*, etc., limitare ipsam potestatem, ita ut actus aliter factus sit invalidus, tum quia videtur lex loqui de potestate quam ipsa vel princeps concedit; tum etiam quia idem qui dat potestatem censetur tunc ponere formam, et ita procedit regula supra data quod illa forma sit substantialis. Exemplum saltem a simili sumi potest ex l. *ultim.*, c. de Vendendis rebus civitatis, l. 11, ibi: *Non aliter nisi imperiali auctoritate venduntur*, etc., ubi Bart. notat illam esse formam substantialem.

15. *Quid dicendum quando actus est privati domini.* — At vero quando actus est privati domini, qui de se non pendet a potestate concessa a lege vel republica, diversa ratio est, tum quia ibi non est auferenda potestas quæ a lege vel republica proveniat, sed quæ unicuique vel jure naturæ, vel jure gentium convenit; tum etiam quia ibi lex supponit potestatem ad actum cui formam præbet, et ideo ex vi verborum non videtur esse forma substantialis, nisi per verba satis expressa declaretur, qualia non videntur esse sola illa *aliter non possit*, nisi aliunde constare possit intentionem legis esse limitare simpliciter potestatem operandi, et non tantum licite operandi, et ideo ordinarie addi solent verba irritantia ad hoc explicandum. Item si non addantur, aliæ cir-

cumstantiæ spectandæ sunt. Et imprimis tota series verborum consideranda est, et præcipue an verbum *non posse* cadat super effectum seu obligationem quæ induceretur si actus valeret: nam tunc signum est formæ substantialis; ut cum dicitur *sine expressione causæ non posse constitui obligationem*, l. *Juris gentium*, § *Non posse*, ff. de Pactis. Deinde inspiciendum est an juxta materiæ qualitatem et usum per talia verba soleat auferri administratio honorum, vel ita limitari ut sine alterius consensu vel sine facultate judicis fieri non possit. Nam tunc etiam censetur lex præscribere substantialem formam, vel auferre simpliciter potestatem moralem. Et ita contingit in legibus testamentorum et alienationum quas supra afferebamus. Nam, licet dominia rerum sint de jure gentium quoad rerum divisionem in genere, nihilominus in particulari modus acquirendi vel transferendi dominia pendet multum ex jure humano; et ideo quando lex tollit potestatem donandi, aut absolute, aut sine alterius licentia et consensu, vel negat facultatem testandi vel instituendi hæredem, vel e converso tollit potestatem instituendi alios præter istos, aut ex illis meliorandi nisi in tali parte, et similia, censetur substantialem formam præscribere et simpliciter auferre potestatem, ac subinde invalidare actum. Denique consuetudo et communis acceptatio legis in hoc vel in illo sensu multum in hujusmodi dubio valere potest.

CAPUT XXXII.

QUOMODO LEX DANS FORMAM ACTUI ET ADDENS CLAUSULAM IRRITANTEM IMPEDIAT VALOREM ACTUS.

1. Regula recepta et, moraliter loquendo, generalis est: si lex det formam et addat clausulam, ut actus aliter factus non valeat, vel sit irritus, aut inutilis, vel quid simile; tunc forma est substantialis et necessaria simpliciter ad valorem actus. Hæc regula communiter recepta est, et sumitur ex Gloss. in cap. 1, verb. *Ipsa jure*, et in cap. *Statutum*, in principio, verb. *Committuntur*, de Rescriptis, in 6. Tradit Felin. in cap. *Cum dilecta*, de Rescriptis, n. 6, verb. *Quintum signum*, ubi alios refert. Et constat ex dictis de virtute legis simpliciter prohibentis cum clausula irritante actum; nam perinde est prohibere cum eadem clausula ne aliter fiat. Unde solum oportet advertere necessarium esse ut verba contineant irritationem de præsentia, seu ipso jure, quia alias non

explicabunt necessitatem simpliciter ad valorem actus, ut statim magis explicabitur.

2. Adhibetur enim communiter huic regulæ declaratio, videlicet, ut procedat quando solemnitas præscribitur ut observanda in ipsamet effectione actus; tunc enim substantialis est; secus vero erit si solemnitas supponat actum jam factum, quia tunc signum est esse tantum accidentalem. Hanc declarationem posuit Bartol. in l. *Universa*, c. de Precib. imperatori offerendis, et in l. *Si ita quis*, 135, § *Ea lege*, n. 5, ff. De verborum obligationibus, ubi in Scholiis multi alii referuntur. Sequitur Panormit. in dicto cap. *Quoniam frequenter*, ut lite non contestata, n. 10, et ibi Felin., n. 4, qui alios refert. Alios etiam refert Tiraquel supra, n. 4, præsertim Bald. in rubr. c. de Rescind. venditione. Exempla prioris partis sunt de solemnitate requisita in testamento efficiendo, cap. *Cum esses*, de Testamentis, l. *Hæc consultissima*, cap. Qui testamenta facere possunt, ubi certus modus et numerus testium ad testamentum postulatur ipsomet actu. Idem est de solemnitate ad electionem requisita dicto cap. *Qui propter*. Alterius vero partis exemplum est in lege postulante ut donatio facta insinuetur, vel quod ex re vendita talis gabella solvatur, alias non sit venditio. Ratio autem prioris partis est, quia quando forma in ipsomet actu postulatur et additur ut actus alias factus *non valeat*, ipsa immediate resistit valori actus. Et ideo talis forma substantialis censetur, prout nunc loquimur. Alterius vero partis ratio est, quia quando conditio est posterior supponit actum factum sine resistentia legis, et consequenter validum; ac proinde, licet postea videatur illum irritare propter subsequentem omissionem, illud est per modum ejusdem pœnæ. Et ideo non statim habet effectum, donec applicetur pœna, nisi lex expresse verbis majorem rigorem declaret, juxta regulas supra positas de lege pœnali.

3. Et propterea dixi hanc declarationem intelligendam esse, quando lex addit absolute verbum *aliter non valeat*, aut aliud simile, quia si non addat hujusmodi verbum, etiamsi in ipsomet actu solemnitatem apponat, non sequitur esse substantialem; nam etiam forma accidentalis potest interdum requiri in ipsamet rei effectione. Exemplum esse potest de juramento a iudicibus præstando in principio litis, juxta legem *Rem non novam*, c. de Judiciis, quod in ipso actu postulatur, et tamen, licet omittatur, actus est validus, ut ibi Gloss. ult.

notat. Idem est de forma servanda in ferenda sententia excommunicationis, juxta cap. 1 de Sententia excommunicationis, in 6, et ita loquuntur citati auctores, qui tamen videntur aliud membrum omisisse; nam interdum solemnitas requiritur ante actum, ut in alienatione rerum ecclesiasticarum prærequiritur tractatus; in electione vero inquisitio vel informatio. Existimo autem juxta mentem horum auctorum hanc solemnitatem antecedentem comprehendere in primo membro tanquam pertinentem ad substantiam actus. Quod sensit Bart. supra, et in l. *Ita quis*, § *Ex lege*, ff. de Verborum obligationibus; expresse Felin. in dicto cap. *Cum dilecta*, n. 6, verb. *Et hinc est*. Et ratio est, quia tunc actus censetur moraliter incipere a tali solemnitate antecedente, et jam tunc lex resistit actioni, si aliter fiat. Sic ergo declarata hæc limitatio et doctrina probanda videtur, et quoad secundum membrum de conditione subsequente, est favorabilis, et non indiget nova expositione.

4. *Irritationem aliquando esse pœnalem, at plurimum non esse.* — Circa alterum autem membrum de forma requisita in ipsomet actu cum clausula irritante occurrere possunt quæstiones. Una est an irritatio illa intelligatur ipso jure induci statim et ante omnem sententiam, vel requiratur sententia saltem declaratoria talis defectus. In qua breviter dicendum est irritationem hanc regulariter non esse pœnalem, ut per se constat, quia per se imponitur, vel potius sequitur ex defectu formæ, etiamsi culpa non intercedat; nihilominus aliquando posse esse in pœnam. Exemplum sumi potest ex cap. *Novit*, de his quæ fiunt a prælato sine consensu Capituli, ubi præcipitur Episcopis ne instituunt vel destituant Abbates sine suorum fratrum consilio et assensu, et postea irritantur actus illi si aliter fiant, ubi Gloss. ult. notat illas irritationes esse ipso jure, male autem illas fundat in l. *Non dubium*, quia (ut supra dixi) parum illa confert ad canones interpretandos: sunt ergo ipso jure, quia ibi satis exprimitur. Quod autem illa irritatio fuerit pœnalis, clarius colligitur ex integra in coll. 1, l. 3, tit. 9, cap. 4, ubi sic dicitur: *Quod si forte contra prohibitionem nostram attentare præsumpseris, nos tales institutiones, etc., auctoritate apostolica cassamus, et omni robore et stabilitate carere decernimus.* Pondero enim verbum *præsumpseris*; ex illo enim satis constat irritationem ferri in odium inobedientiæ et transgressionis.

5. *In irritatione non pœnali non esse opus sen-*

tentia ut actus sit nullus. — Quando ergo irritatio non est pœnalis clarum est non esse necessariam sententiam ullam ut actus sit nullus eo modo quo per legem irritatur. Quia ad illam nullitatem per se non requiritur culpa, sed defectus formæ sufficit; nec est ulla ratio cur sententia necessaria sit, nisi in ipsamet lege formaliter vel virtute postuletur, juxta ea quæ in sequenti quæstiuncula dicentur. At vero quando est irritatio pœnalis, videri potest probabile applicandam esse regulam legis pœnalis, scilicet, non incurri ante sententiam declaratoriam, etiamsi ipso jure lata sit, licet retrahenda sit postea sententia usque ad initium actus. Nihilominus tamen, quia hæc pœna non est pura pœna, sed includit etiam defectum substantialis formæ, ideo, regulariter loquendo, probabilius videtur incurri statim ex illo capite, licet ratio pœnæ non sufficeret. Dico autem *regulariter*, quia ex verbis legis poterit forte interdum exceptio fieri, ut in dicto cap. *Novit* verbum illud *præsumpseris* indicat (juxta communem doctrinam) pœnam illam non incurri si defectus committatur sine præsumptione ex ignorantia, vel alia simili negligentia, et consequenter indicat illam solemnitatem non esse substantialem, sed esse tantum requisitam sub illa pœna, et ideo probabile est tunc non incurri ante sententiam declaratoriam.

6. *An prædictæ leges irritent in conscientia.* — Alia quæstio esse potest an hæc leges irritantes ex defectu formæ irritent omnino actum, etiam quoad obligationem naturalem in conscientia, vel tantum in foro exteriori. Sed de hac quæstione multa sunt tacta in superioribus, et in tractatu de Juram. l. 2. Et vix potest in ea generalis regula statui, quia possunt leges utroque modo ferri, et ideo verba earum et materia, ac circumstantiæ consideranda sunt ad discernendum irritationis modum, ut sumi potest ex Cov. in cap. *Quomodo*, 2 p., § 4, et Molina tractat. 2 de Institut., disput. 81 et 88. Quod maxime locum habere censeo in legibus civilibus; nam leges divinæ positivæ instituentes substantiales formas aliquorum actuum, clarum est consequenter irritare statim ac ipso facto et in conscientia actum cui deficit talis forma integra, ut patet ex materia de Sacramentis et sacrificio. Deinde idem sentio de legibus canonicis, quatenus instituunt formas similes, maxime si attingant sacramentorum materias aliquo modo, vel etiam sacramentalium, proportionem servata. Ita videre licet in solemnitate substantiali requisita

ad contractum matrimonii ex institutione Concilii Tridentini. Idemque sæpe disponunt jura in ordinationibus quas irritant si absque tali vel tali modo fiant, c. *Alienationes*, 12, q. 2, cum similibus. Sed ibi irritatio accommodanda est materiæ; nam est tantum quædam suspensio, ideoque si ipso facto imponitur, statim sine alia sententia incurritur tanquam censura. Idem etiam observari potest in consecrationibus aut benedictionibus ab Ecclesia institutis, ut in prima tonsura, in consecratione altaris, aut calicis, quia si non serventur formæ ab Ecclesia institutæ, nullæ erunt, et iterandæ sunt absque alia declaratione, nec antea licebit uti talibus rebus ut benedictis aut consecratis. De aliis vero actibus magis temporalibus aut externis, ut sunt alienationes, et electiones, et judicia, etc., videri potest res magis dubia; nihilominus idem dicendum censeo, quia hæc leges non fundantur in propria præsumptione, ut dixi, et ita directe intendunt veritatem aut nullitatem actus in se, non in ordine ad solam probationem, aut actionem in humano judicio.

7. *Actus irritos jure civili ex defectu formæ sæpius in conscientia irritos esse.* — In legibus autem civilibus facilius id potest accidere, quia in illo jure præcipue intenditur exterior pax et gubernatio quæ per judices exhiberi solet. Nihilominus tamen frequentius verum esse existimo contractus et actus irritos jure civili ex defectu formæ, in conscientia irritos esse, præsertim quando pertinent ad publicam administrationem, ut sunt sententiæ, electiones et similes, quæ a legibus ipsis et potestate publica multum pendent, et ideo si lex ipsa resistit irritando, statim operatur, quia ita expedit communi bono. In aliis vero legibus quæ magis consulunt commodis singulorum et ponunt formam contractibus, testamentis et similibus, aliquando solent leges non irritare obligationem internam, nec impedire naturalem valorem actus, sed tantum vel negare actionem in judicio, vel irritare instrumentum sic factum, vel scripturam, ut non faciat fidem in judicio; aliquando vero omnino irritant actum, etiam quoad valorem naturalem. In quo verba legis rigore pensanda sunt et stricte semper sunt interpretanda, quia materia est odiosa. Semper tamen verum existimo esse licitum in conscientia uti his legibus ad irritandos actus, et eum qui ab aliqua obligatione vel promissione excusatur, vel rem aliquam per sententiam justam secundum illam legem latam obtinet, tuta conscientia rem obtinere, et a solutione

obligationis excusari, quamdiu lex civilis per canonicam non est derogata, et tanquam justa in suo foro servatur. Quia licet fortasse lex per se solam non tollat omnino obligationem naturalem, dat potestatem judici ut omnino irritet actum, et consequenter tollat illam vel mutet rei dominium; nam hoc non excedit potestatem legis civilis; et, supposita tali lege, necessarium est ut servari possit sine occasione injustitiæ et peccati; ut, verbi gratia, in lege statuente solemnitatem testamenti, licet demus per se solam irritare testamentum, non tamen voluntatem defuncti, et ideo posse hæredem institutum in testamento minus solemniter tuta conscientia retinere hæreditatem quamdiu ab illo non exigitur, quia moraliter certum est de voluntate defuncti; nihilominus is qui ab intestato deberet succedere poterit tuta conscientia litem movere et postulare hæreditatem, et, si obtinuerit, retinere illam, quia lex hoc illi concedit, et saltem per sententiam efficaciter applicatur. Et per hæc alia similia, in quibus magna est varietas opinionum, probabiliter conjectari possunt.

8. *Quæ corruptio formæ sufficiat ad annullandum actum.* — Aliqui sentiunt in hoc parum pro nihilo reputandum. — Ultima quæstio esse potest quanta corruptio substantialis formæ sufficiat vel necessaria sit ad annullandum actum; est enim talis forma divisibilis, et plura verba, actiones, aut testes, vel quid simile requirit. Unde omitti potest vel in totum, vel in parte, aut gravi aut levi. Et quidem si omittatur omnino, vel in parte gravi, certum est annullari actum. Dubium vero esse solet quando id quod omittitur leve est aut minimum. Aliqui enim existimant tunc actum non irritari, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Ita sentit Molina, tract. 2 de Justit., disputation. 81, in fine; et refert Molinam l. 2 Primogen., cap. 6, n. 33, cum Bart. et aliis, dicentem omissionem modicæ solemnitatis non vitare; et idem sentit Alvar. Valas. tom. 1, in consil. 52, n. 8, ex l. unic., § ult., ff. de Ventre inspiciendo, ibi: *Quale est enim, si quid ex iis quæ leviter observanda prætor edixit, non sit factum.* Et hanc sententiam referens Gregor. Lopez in l. 5, tit. 6, part. 6, Gloss. 4, eam non improbat. Hoc etiam videtur supponere Felin. cum multis quos refert in cap. *Ex parte*, de Constit., n. 5, in princ. Quod si inquiras quæ omissio solemnitatis sit levis censenda, respondent hoc esse arbitrio prudentis relinquendum.

9. *Actum irritari in quacumque omissione*

sentiant antiqui.—Contrariam sententiam, scilicet, actum vitiari et irritari ex quacumque omissione formæ substantialis vel partis ejus, tenent plures antiqui quos supra refert Gregor. Lop. sup., Albert., Angel., Joan. Andr., in quorum sententiam ipse inclinat. Tenet etiam Azor., t. 1, l. 5, c. 28, § *Animadvertendum*. Exempla vero ponit, si in testamento unus testis, vel in electione unus ex electoribus deficiat. Quæ quidem indubitata sunt, ut per se constat, et tradit Dec. in l. *Hac consultissima*, c. Qui testamenta facere possunt, n. 12; responderi tamen non immerito potest illam non judicari prudenter levem solemnitate, sed valde gravem. Aliud exemplum est, pura inversio ordinis præscripti ad procedendum, ut in petendo consilio ante vel post actum; nam videtur levis defectus, et nihilominus irritat actum, juxta c. *Cum dilecta*, de Rescrip. Sed hæc etiam non reputabitur levis ommissio, quia propter consilium potuisset sententia mutari, ut notavit Felin in c. *Ex parte*, supra citato. Aliud exemplum potest sumi ex l. *Cum hi*, § *Si prætor*, ff. de Transaction., ubi non solum dicitur esse transactio nulla quando prætor eam permittit sine causæ cognitione, sed etiam (inquit) *si non de omnibus inquisierit quæ oratio mandat, hoc est, de causa, de modo, de personis, quamvis de quibusdam quæsierit*. Ergo, quidquid prætermittatur de forma substantiali, vitiatur actus. Et ad hoc facere potest quod essentia rei consistit in indivisibili, ut philosophi dicunt: sic ergo forma consistit in integritate; et ideo parvus defectus vitiat illam, ut significavit etiam Bald. in cap. *Cum alio*, de Rescriptis, n. 4.

10. *Sententia securior.*—*Mutatio corrumpens sensum verborum semper irritat actum, licet sit mutatio unius tantum litteræ.*—Hæc ergo sententia videtur practice securior, maxime quia si hoc relinquitur arbitrio prudentis, multum enervantur leges formam substantialem instituentes: vix autem potest alia regula dari, si semel datur locus seu licentia aliquid excipiendi. Non displicet autem distinctio quam tradit Felin. ex Bart. et Imol. in c. *Cum dilecta*, de Rescriptis, n. 6, § *Tertium signum*, scilicet, ubi constat ordinem esse substantialem, omissionem ejus indistincte vitiare actum, sive leve sive grave præjudicium parere videatur: si autem sumus in dubio, tunc posse distinguere inter leve et grave præjudicium. Idem enim merito dici potest in omni dubio de forma substantiali. Applicari etiam in præsentibus potest cum proportionem doctrinæ quæ de mu-

tatione in forma sacramenti tradi solet; nam si sit formalis, ut sic dicam, semper vitiat actum, id est, si mutet, vel corrumpat sensum verborum, etiamsi hoc contingat per unius tantum litteræ mutationem; si vero sit mere materialis, non vitiat, id est, si verba eandem significationem retinent. Tunc enim semper mutatio vel ommissio gravis est, etiamsi circum parvam esse videatur: e contrario vero posterior mutatio dici potest levis, etiamsi in re sensibili major appareat. Ita ergo in præsentibus, si ommissio in re quæ videtur parva fit contra intentionem et mentem legis, tunc semper vitiat, et non est censenda levis, sed gravis, quia multum interesse potest: si autem non solum est materialiter levis circumstantia, sed etiam parum videtur referre ad finem legis, tunc non videtur vitiare, quia quasi nihil reputatur. Et ita possunt conciliari dicti auctores: nam si attente considerentur exempla quæ afferunt, seu occasiones in quibus loquuntur, videntur in prædicto sensu fuisse locuti.

CAPUT XXXIII.

QUANDO LEX IRRITANS INCIPIAT EFFICERE HUNC EFFECTUM IRRITANDI ACTUS.

1. *Lex irritans est generalis regula actionum, et proinde debet esse publicata ut obliget.*—Quamvis superius dictum sit de promulgatione legis, tamen, quia nonnullæ leges irritantes censentur in hoc habere aliquid speciale, explicandum in præsentibus breviter est. Primo ergo suppono legem irritantem non annullare actum donec solemniter promulgata sit. In hoc omnes conveniunt; et ratio est, quia ante talem promulgationem non est lex. Dices hoc esse verum quoad vim obligandi, quia obligatio fit mediante notitia quæ per promulgationem datur; non est autem idem de virtute irritandi, quia irritatio non pendet a notitia, et ideo fit etiam contra ignorantes, ut supra diximus. Respondetur, quamvis in hoc sit aliqua diversitas, quia irritatio in particulari non fit per applicationem conscientiæ, sicut obligatio; nihilominus in hoc conveniunt quod utraque fieri debet per publicam et notoriam regulam, et consequenter omnibus propositam, quod non fit nisi per promulgationem. Et ratio est, quia etiam lex irritans est generalis regula actionum humanarum, et ideo per se loquendo debet esse justa ac subinde publice posita, etiam ut irritans, quia necessarium est ut homines sciant quomodo possint ac debeant actiones suas facere ut validæ sint, alioquin infi-

nita incommoda in communitate sequerentur, et ideo ex natura necessaria est promulgatio legis etiam ad hunc effectum.

2. *Unam publicationem factam in curia principis sufficere, vel in metropoli, ut obliget.*—Secundo, suppono per se et ex vi talis effectus unam promulgationem sufficere factam in curia principis, vel in metropoli regni, cum proportionem hoc applicando ad leges civiles et canonicas, juxta superius dicta de utrisque. Et probatio etiam inde sumenda est, quia neque ex natura rei seu sola ratione, neque ex jure aliquo positivo aliud postulatur in his legibus. Aliqui vero moderni oppositum sentiunt quoad leges canonicas irritantes, nimirum non habere hunc effectum post Romanam promulgationem, donec in singulis provinciis promulgentur. Sentit Medina l. 2, q. 90, art. 4; citatur etiam Soto, sed immerito, ut dicam. Fundamentum est, quia irritationes ecclesiasticæ sunt de rebus gavioribus et majoris momenti, et ideo non expedit aliter fieri. Respondetur solam conjecturam non sufficere ad certam regulam constituendam, sine positiva lege, in re quæ ex solo jure naturæ necessaria non est. Illa ergo ratio ad summum declarat convenientiam quamdam ob quam potest interdum expedire alium modum promulgationis statuere; inde vero solum inferri potest, ad prudentiam Prælatorum et Pontificum pertinere, ut, juxta materiæ qualitatem, modum etiam promulgationis in sua lege determinent, non tamen ex natura rei esse necessarium si in lege non exprimat. Exemplum optimum est in Concilio Tridentino, sessione 24, ubi in lege irritante matrimonium clandestinum expresse declaravit necessariam fore promulgationem in singulis diocesisibus, quia materia erat gravissima, et multa possent incommoda sequi si aliter fieret. Tamen inde per argumentum ab speciali potius sumitur conjectura id non esse necessarium, nisi in lege exprimat, quod a fortiori patebit ex dicendis.

3. *Post promulgationem sufficere duos menses ut lex irritans habeat effectum, illudque tempus necessarium esse.*—Tertio, supponendum est post factam promulgationem in curia principis sufficere ordinariæ tempus duorum mensium ut postea lex irritans incipiat habere suum effectum. Ita sentiunt omnes, et colligitur ex Authentico *Ut novæ constitutiones*, quod plane loquitur de lege irritante: et ratio est, quia nulla lex est vel constitutio, quæ majoris temporis lapsus in legibus irritantibus postulet quam in aliis; neque etiam ex sola rei na-

tura est necessarium, quia quod sufficit ad obligandum sufficit ex hac parte ad irritandum. Unde fit ut tempus illud eodem modo in his legibus declarandum sit quo in aliis, juxta ea quæ superius diximus. Intelligitur enim quoad leges summi principis, et respectu earum regionum ad quas illud tempus sufficiens est; nam si longius distent, majus tempus est concedendum prudentis arbitrio, quod maxime in his legibus necessarium est propter incommoda quæ ex irritatione sequi possent.

4. Hinc quarto dicendum est in legibus civilibus illud tempus necessarium esse ut lex incipiat irritare actum contra eam factum. Ita docent omnes doctores quos statim referam; et ratio est, quia nulla etiam lex est civilis quæ ad hunc effectum minori tempore sit contenta. Quin potius dictum Authenticum quod tempus bimestre concedit, loquitur de legibus testamentorum quæ includunt irritationem. Item quia ante lapsum illud tempus lex illa non habet vim legis respectu talis loci pro quo illud tempus necessarium est, vel saltem non est illi sufficienter applicata: ergo sicut non obligat, ita neque irritat ibi. Tandem si lex irritat actum, obligat ad non faciendum illum modo superius dicto; sed ante lapsum illud tempus non obligat; ergo neque irritat.

5. *Leges canonicas habere effectum irritandi statim ac fiat Romæ promulgatio solemnis sentiunt plures.*—Solum superest difficultas de legibus canonicis; nam multi canonistæ sentiunt eas habere effectum irritandi statim ac fit Romæ promulgatio solemnis. Ita tenent Panormitanus, Decius, Felinus, et fere alii in capite secundo de Constitut., et in c. *Noverit*, de Sententia excommunicationis; Joan. Andr., in fine libri sexti super datam ejus, et Gloss. juncto textu in cap. 1 de Concessione præbendæ, in 6; Turrecremata in c. *In istis*, dist. 4, art. 4; Joan. Staphilus, libro de Gratiis et expectativis, forma 8, numero 8; Navarrus in Summa, cap. 23, numero 44, et consil. 31 de Regularibus, numero 5; et Soto, libro 1 de Justitia, quæst. 1, art. 4; Sylvest., verb. *Lex*, quæst. 6, dicto 3; et Rosel., n. 6. Fundantur in aliquibus decretis quæ videntur supponere constitutiones apostolicas habere statim hunc effectum, c. *Dudum*, c. *Si postquam*, c. *Cum singula*, de Præbendis, in 6. Unde ratio solum est, quia Pontifices possunt hoc facere et declarant se velle: ergo faciunt.

6. *Dictam regulam non intelligi de omni lege canonica, sed tantum in legibus pontificalibus habentibus particulam ex nunc.*—Est autem